

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 8689

**Auteur(s)** : Jean, Châtellerault (vicomte)

**Bénéficiaire(s)** : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1274, novembre

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

AUTRE CHARTE DE JEAN DE CHATELLERAULT. — Jean, vicomte de Châtellerault et baron du Sonnois, confirme toutes les acquisitions de l'abbaye. Il lui reconnaît la jouissance de ses privilèges, libertés et exemptions. Novembre 1274.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° XXV, p. 65-69.

Texte d'après a

Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis, ego Johannes vicecomes de Castro Airaudi, miles et dominus sagonensis salutem in Domino. Noverint universi presentes principaliter et futuri quod ego pro salute anime mee et Hamerici vicecomitis patris mei, animarumque omnium antecessorum et successorum meorum dedi et concessi et presenti carta in puram et perpetuam, liberam et quietam eleemosynam confirmavi Deo et Beate Marie de Persenia et monachis ibidem Deo et Beate Marie et omnibus sanctis servientibus et servituris omnes et singulas res, homines, feoda, census, redditus et possessiones que et quas ipsi acquisierunt aut eleemosyna vel propria emptione sive alio quocunque justo titulo videlicet a Johanne de Alleriis domino de Ouvan et Johanna ejus uxore sive quibuslibet hominibus meis aliis videlicet tam nobiles, burgensibus, clericis quam aliis personis in parrochiis de Novo-Castro, de Liveto, de Uncinis, de Campo-floro, de Groutello, de Orchevain, de Lovigneio, de Valle, de Sancto-Remigio-de-Plano, de Vesoto, de Pennone, de Sagonia, de Marolis, de Curto-Lucro, de Thoigneio, de Pireto, de Sancto-Viventiano, de Curia-Mirabili, de Puisellis, de Sancto-Remigio-de-Montibus, de Mamerto, de Maroletis, de Sancto-Albino, de Contilleio, de Alleriis, de Bello-Visu, de Blavia, de Alneolis, de Auditu, de Sancto-Paulo, de Montigneio, de Chaceio, de Ligneriis, de Rotularibus, de Sancto-Paterno, et de Losis et in omnibus locis, feodis, retrofeodis et territoriis potestatis et jurisdictionis mee in Cenomania et Normannia ex quibus quedam propriis dignum duxi exprimenda vocabulis, videlicet res et feodum de Gonderia cum terris, pratis, nemoribus, huteretis et aliis pertinentiis suis, feodum, homines, habergumenta, census et redditus de Vineria, de Pereria, de Bihalais, de Choonneria, et de Morigneria cum pertinentiis suis. Locum nuncupatum le Ridray cum habergamentis, terris, pratis, pasturis, stanno, et aliis pertinentiis suis. Feodum, homines, census, et redditus de Corbouain et de Eclussa cum habergamentis, terris, pratis, pasturis et pertinentiis suis. Manerium de Mala-Vicinaria cum domibus, terris, pratis, pasturis, aquis, stannis, molendinis, nemore, guarena, hominibus, censibus, redditibus et aliis pertinentiis suis, que predicta dicti monachi acquisierunt in mea presentia a Gaufrido Malo-Vicino milite et domino dicti loci. Habergamentum etiam de Genesclis cum terris, pratis, pasturis et aliis pertinentiis suis. Domum de Bello cum hortis, usagiis, pertinentiis et libertatibus suis. Medietarias de Verdel, de Berneriis

et de Hugel cum domibus, habergamentis, terris, pratis, pasturis, usagiis et aliis pertinentiis suis ; et quicquid acquisierunt in feodis de Berneriis et Mesnillo. Et omnes res, feoda, homines, justitias, jurisdictiones, usagia, libertates et eleemosynas a predecessoribus meis sive quibuslibet aliis Christi fidelibus illis datas et concessas. Et universa et singula que jam acquisierunt in tota terra mea in quibuscunque locis, parrochiis et feodis existentia seu quocunque nomine censeantur. Dono etiam et concedo jam dictis monachis et successoribus suis in omnibus et singulis locis predictis et eorumdem pertinentiis usagia in omnibus forestis et nemoribus meis videlicet ad calefaciendum, edificandum et reficiendum et ad omnia necessaria sua, et omnimodam guarennam sive venationem ad omnia grossa animalia et parva, et omnem justitiam, altam et bassam et quicquid juris et jurisdictionis habere poteram in predictis et omnium animalium in dictis locis residentium, herbagium et pasnagium et pasturam. Volens et precipiens quod homines omnes et singuli qui in locis predictis et in aliis locis, habergamentis, pressoriis, medictariis sive grangiis residentiam faciunt sive facient in futurum cujuscunque status aut conditionis existant, sint quieti et liberi de passagio, pedagio, pontagio, havagio, halagio, stallagio, coustumis, talliis, exitibus, molituris, visionibus, forestagio, vinagio, sommagio, focagio, reparatione viarum, pontium, villarum et castrorum, omnique alia consuetudine et seculari exactione de omnibus rebus quas vendiderint et emerint vel deportari fecerint, per totam terram meam, et gaudeant eisdem immunitatibus, usagiis et libertatibus ratione locorum predictorum quibus et gaudent monachi supradicti. Volo etiam et concedo quod domus et habergamenta in locis jam dictis edificata sive in posterum edificanda, cruce signantur in signum libere et pure eleemosyne ac perpetue libertatis. Et ut servientes, mercenarii et charpentarii in locis vel feodis dictorum monachorum non manentes, sed in villis vel oppidis aut alibi in terra mea habitantes, a nullo tamen, preter a monachis salarium accipientes nullum forestagium mihi et heredibus meis solvere teneantur. Preterea cum a predecessoribus meis datum sit prefatis monachis et concessum ut quidquid in tota terra ipsorum et mea acquisierint quiete et libere possiderent, summa vel numero non taxatis et de tam generali libertate et concessione sentirem me et meos pregravari ; providens etiam dictorum religiosorum paci et quieti, volui et concessi quod ipsi et successores sui possint, si eisdem placuerit, libere acquirere, videlicet in redditibus et aliis per totam terram meam usque ad quingentas libras cenomanensis monete tam de militibus, burgensibus, quam de aliis hominibus meis tam eleemosyna, emptione quam alio quocunque titulo, ita tamen quod hoc cartis ipsorum vel privilegiis nullum prejudicium generabit. Nec ratione taxationis predicte aliquid eisdem poterit objici vel apponi. Item do et concedo quod ipsi et successores sui, eorumque causam habentes et habituri, teneant et ita libere et pacifice possideant omnia et singula predicta sicut res et possessiones procedentes ex ipsorum proprio fundamento. Item de libertatibus usagii forestarum et nemorum, illa laudabilis ordinatio teneatur que continetur in cartis bone memorie Roberti quondam comitis Alenconis et sagonensis domini, avunculi patris mei, compositione aliqua nonobstante. Volo insuper et concedo quod omnia et singula que in presenti carta et in cartis et privilegiis felicis recordationis Guillermi, quondam comitis Pontivii, Johannisque et Roberti, quondam comitum Alenconis, et aliorum predecessorum meorum nobiliumque et principum superiorum meorum, super his et aliis plenius continentur, in puram et perpetuam, liberam et quietam eleemosynam honorifice conserventur et dictis monachis ac successoribus suis modis omnibus impleantur ; que et quas cum universis et singulis clausulis in eisdem contentis et expressis per omnes et singulos articulos ratifico et confirmo. Omnibus gratiis et indulgentiis impetratis et impetrandis, omnibus statutis et constitutionibus factis et faciendis a rege, principe vel prelato, et omnibus exceptionibus et rationibus que contra premissa vel aliquid premissorum possent objici, renunciatis in hoc facto specialiter et expresse. Nullum etiam jus domini, jurisdictionis, possessionis et proprietatis preter divinam remunerationem tantummodo retinens in premissis. Et ad universa et singula, prout superius sunt expressa, tenenda dictis monachis et successoribus suis ac in perpetuum inviolabiliter observanda, ego volo et constituo me et heredes meos et omnia mea tenore presentium obligari. Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, mense novembri.